

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christian Ludwig Wilcke

**De Febre Hydrocephalica Eiusque Cum Helminthiasi Analogia : Dissertatio
Inauguralis Medica**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXIX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1008964379>

Druck Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU med. 1829

Wilcke, Jo.Christ.Ludov.







DE
FEBRE HYDROCEPHALICA
EIUSQUE
CUM HELMINTHIASI ANALOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES

RITE SIBI CONFERANTUR
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

S U B M I T T I T

IO. CHRIST. LUDOV. WILCKE

LUDOWIGSLUSTO - MEGAPOLITANUS.

ROSTOCHII
T Y P I S A D L E R I A N I S .

MDCCXXIX.

DE

LIBERTY HYDROCOMPLAIXA

NUMBER

CHEMICAL INSTITUTE ANALOGIA

DISSECTATIQ INACCURATIS MEDICIS

MADE

CONSIDERATI AUTONOMATIS

GEORGII MEDIOORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS STATIONIS LIBRARY

BY

THE AMERICAN CHIMICAL



JO. CHINCHINON IN LEX

PRINTED IN U.S.A.

P R A E F A T I O.

Quemadmodum omnium fere morborum, ita et hydropis pathogenia, recentiorum medicorum studiis ac disquisitionibus egregia debet incrementa eamque lucem, quae, uti videtur, sententiarum hac de re controversias componere valeat. Proinde exprobrari posset tironi medico, quod in hanc materiem denuo inquirere ausus sit, nisi quaedam superessent levioris momenti placita, repetitis scrutinationibus et interpretationibus haud indigna. Huc, me quidem judice, mira symptomatum similitudo pertinet, quam inter hydropem ventriculorum cerebri acutum et morbum verminosum intercedere pathologi experientissimi nuperioris aevi unanimi consensu affirmant. Quicunque de hydropis illius gravitate et atrocitate, quae negari nequeunt, persuasum habet, facile largietur, aptam certamque vel ei occurrenti vel medendi methodum intimis omnium medicorum desideriis responderet. Quum vero idonea et rationalis medendi

methodus constitui nequeat, nisi morbi diagnosis et aetiologya ab omni parte dilucidatae sint: plurimum haud dubie interest, ut illa symptomatum analogia rite examinetur causaeque eam efficientes investigentur. His enim ventilatis, facili negotio patebit, num eadem semper ac necessaria sit similitudo, utrum accidentalis, neque indele utriusque morbi, neque causaliter nexu inducta! Ceteroquin ingenue confiteor, me plurima, ad symptomatologiam, prognosim atque curationem spectantia, egregiis pathologorum nostrorum libris debere, multa vero, de symptomatum analogia et mutua necessitudine proposita, quantum potuerim, ex proprio penitus hausisse. Tam haec, quam illa, si vel minus ingeniose sint explicata, vel parum circumspecte consta, in exilioribus tironis viribus excusationem esse habitura, etiam atque etiam spero et confido.

donec trahamus haec sicuti debet resiliere nescire
quidem omnia regulae quaevis nescire.

§. 1. ~~et sepius idem de cibis~~

Humoris serosi collectio in cerebri ventriculis
hydrops ventriculorum cerebri appellatur, qui
ratione decursus habita, vel acutus, vel chronicus
esse potest. Omisso chronico, de acuto tan-
tum hic exponam, cui recentiores medici *febris*
hydrocephalicae nomen indiderunt.

§. 2.

Hydropem ventriculorum cerebri ab anti-
quissimis inde saeculis generi humano fuisse
communem, non est, quod dubitemus, tum enim
sola ratio nos docet, tum medicorum cujuscun-
que aevi scripta, si qua evolvere libet, nobis
persuadent. Verum etiam constat, huncce mor-
bum priscis medicis neque ab hydrocephalo sensu
latori esse distinctum, nec tam frequentem ex-
stisset, quam nostra aetate. Causae hujus rei
quaenam sint, aut putentur, infra enucleabo.

§. 3.

Divisio hydropis cujusvis acuti in hyper-
sthenicum seu inflammatorium, in ereticum et
torpidum, haud temere in hydropem ventriculo-
rum cerebri acutum applicari potest, attamen
huic divisioni non stricte insistendum esse opinor,
quum partim inflammatorii aliquid semper vigeat,

partim erethica indoles magis ad complicationes pertineat, partim denique torpor ultimo tantum stadio adscribi queat.

§. 4.

Scire autem interest, an morbi cursus stadiis certis adstringatur, nec ne, curationis enim est, stadiorum rationem quam maximam habere. Haase et alii tria discernunt stadia, quorum primum inflammationis, alterum exsudationis, tertium torporis, vel paralyseos dicunt. Quanquam plura stadia distingui posse, lubenter largior, aliam tamen eorum indolem aliudque nomen vindicandum esse persuasum habeo. Quodsi enim fidem habemus iis scriptoribus, qui de infantum morbis egregie disseruerunt, febris hydrocephalica nunquam carere videtur stadio prodromorum, quod plures per dies, imo hebdomades viget manifestisque inflammationis criteriis destituitur. Stadium inflammatorium et exsudativum certo limite segregari posse dubito, sed unum idemque esse arbitror, quam sententiam infra allatis argumentis confirmabo; tertium stadium, si accedat, torpidum, vel paralyticum nuncupandum esse, non diffiteor.

§. 5.

Stadium prodromorum haud dubie summam medici attentionem requirit, partim quod diffi-

cillime dignoscitur, partim quod, si cognoscitur, remedii idoneis morbi eruptio caveri corporis que integritas potest restituiri, quod, stadio inflammatorio jani ingresso, raro contingit. Difficilem hujus stadii diagnosin eapropter existimo, quod leviorem tantum aegrotationem indicat, helminthiasi simillimam ideoque huic adscribi solitam, ut sequentia docebunt; etenim si ad inflammationem gradus morbi est evectus, magis encephalitidis, quam helminthiasis effigiem imitatur. Symptoma huic stadio propria tam corporis habitum, quam ejus functiones spectant, neque minus animi mutationibus sese manifestant. Infantes nimirum, (nam de his fere sermo faciendus est) antea hilares, laeti beneque morati, tristes evadunt, morosi atque immorigeri, ludis consuetis non amplius delectantur, cibos rarius, potus frequentius appetunt, somnolentiae nimis sunt dediti. Somnus tamen placidus non continet, aegrotuli subinde expavescunt, dentibus strident, palpebris semiclausis recumbunt, comate magis quam somno capti videntur. Pulsus frequentior est, nondum vero durus, frons calida, sicca, genarum una plus rubore dicitur altera; pupilla dilatata, oculorum sensibilitas aucta, interdum photophobia, observantur. Ingenium praecox infantibus ad hunc morbum opportunis vulgo solet adscribi, quod fortasse complicationi

scrofulosae, i.e. aut orhachiticae debetur. Gressus infantum, si ambulando jam pares sunt, incertus est atque temulentus, pedes semper altius extollunt tanquam obstaculum superare velint et nihilominus crebro hallucinantur. Ubi suturae et fonticuli nondum concreverunt, craniī figura mutatur: caput enim globosius ampliusque evadit, quod, cum veram inflammationem et exsudationem ab hoc stadio abesse existimem, haud dubie auctis sanguinis congestionibus ad caput impunitandum est. Plurimum ponderis tribuitur urinae, hoc in stadio missae, quippe quae alba, lacti ebutyrato similis esse consuevit; alvus non certam exhibit normam, verumtamen ad obstructionem magis opportuna, quam laxa, venter inflatus atque durus est. Denique varii auctores mentionem faciunt exanthematis tenuis, miliaris, quod brachiorum faciem externam obsidere, nonnunquam ad collum usque et genas ascendere dicunt. Quanquam interdum accidit, ut intra dies aliquot hoc stadium absolvatur, tamen experientia edocti scimus, plerisque in casibus ad octavum vel decimum diem protrahi, imo hunc terminum quandoque excedere.

§. 6.
Ineunte stadio secundo, gravissima symptomatum supra expositorum mutatio observatur,

siquidem omnia inflammatoriam indolem portentunt. Auctis nimirum morositate, anxietate et inquiete, horror ingens supervenit, aestu exceptus, qui pedetentim increscens, frontis maximum ardorem efficit, frigescientibus plerumque extremitatibus. Nec reliqua febris manifestae symptomata deficiunt: pulsus celerrimus atque frequentissimus, duriusculus, parvus, maximeque mutabilis, raro plenior solito appetet. Febris, initio remittens, mox in continentem abit, aut si quid remissionis per intervalla incidit, vix paullulum atrocitatis demit symptomatibus. Quo propius hoc stadium ad encephalitidis naturam accedit, eo luculentiora cerebri inflammati signa in conspectum prodeunt: dolor capitis vehemens, plus minus acutus, aut constringens, vel singularia obsidet loca, in primis occiput, frontem, tempora, vel aequabiliter per totum cranii cavum diffunditur; arteriae carotides ac temporales gravius pulsant, respiratio accelerata et laboriosa, aurium susurrus atque tinnitus exstant. Omnia fere corporis organa, praesertim sensuum instrumenta, morbosa insigniuntur sensibilitate: oculi rubentes et lacrymantes lucem perhorrescunt, flammulas imaginesve cernunt obvolantes, pupilla vel praeter modum ampliatur, vel coarctatur, vultus torvus, aut rigidus aut errabundus, auditus acutior est, quo sit, ut soni le-

viores, sanum hominem nihil moventes, v. c.
horologii crepitus, sermocinatio clarior etc. aegro-
tulis inimicissimi sint eorumque anxietatem miri-
fice intendant. Facies sanguinis congestionibus
rubescit, ut plurimum quoque deliria superveniant,
vel furibunda magis, vel blanda et soporosa.
Cutis sicca et ardens, urina non amplius lactea,
sed intense rubicunda, flammæ et parca, alvus
obstipata, lingua rubra et arida, quandoque ob-
limata, reperiuntur.

§. 7.

Vigente adhuc inflammationis atrocitate, nisi
crisis accedat, incipere videtur exsudatio serosa,
quamobrem utrumque stadium haud segregan-
dum censeo; quanquam enim interdum ineunte
exsudatione symptomatum violentia aliquantum
decrescit, negari tamen nequit, typum febris
continentem saepius nihil mutari. Suspiciari au-
tem oportet, exsudationem coepisse, ubi infantes
vomititionibus ipsoque vomitu corripiuntur, in-
primis si eriguntur, quod facile est explicatu:
erecto enim capite, medulla oblongata, ex qua
plerique nervorum cerebralium originem ducunt,
tam ipsius encephali pondere, quam humore
collecto comprimitur eaque irritatio per nervos
vagos et sympathicos ad ventriculum propagatur,
cujus cum cerebro consensus extra omnem du-

bitationis aleam positus est. Eodem fere tempore aegrotantes inscia mente, saepe inter soporem, quibusdam capitis locis admoveare solent manus, quippe aqua collecta, cuius plerumque maxima copia hisce in locis post mortem inventur, haud dubie pressionis sensum efficit, quem infantes admotis manibus, quasi instinctu impulsi, temperare student. Neque minus aegroti recumbentes caput applicare gestiunt corporibus durioribus, ut parietibus, lectulo etc. aut si, quod appetunt, non reperiunt, caput cum quadam contentione desigunt in pulvinaribus, quod nihil aliud indicare videtur, nisi studium, corpus aliquod durum investigandi, cui obniti possint capite. Augescente exsudatione vigor quidem pristinus symptomatum habescit, cavendum autem est, ne morbi gravitatem decrevisse opinemur, omnia enim in pejus versa sunt. Deliria furibunda, si qua adfuerunt, sopori cedunt, vultus stuporem exprimit, pulsus frequentior minorque evadit; organorum sensuum acumen atque exaltatio evanescunt, oculi tanquam per nebulas cernunt objecta, vel coecutiunt, pupillae dilatatio et immobilitas continent, auditus hebetatur, lingua balbutit. Caput, nondum coadunatis suturis, praegrandem adipiscitur ambitum; tussis quandoque spastica, convulsiva supervenit. Hocce stadium rapidius decurrere primo, facile ex ejus

natura apparet; plerumque intra triduum aut quatriduum, nonnunquam maturius, absolvitur, et si exsudationem disjungamus ab inflammatione, vix dimidiis dies huic soli concedendus videtur.

§. 8.

Non raro evenit, ut horum symptomatum atrocitate aegrotantes extinguantur, priusquam stadium tertium assequantur, quod, si incidit, supremo omnium calamitatum fastigio insignitur et si turbatas cerebri nervorumque functiones intuemur, cum hydrocephali chronicis acme quan- dam alit similitudinem. Stupor atque sopor ad majorem evehuntur gradum, paralyses aut oriuntur, aut prius exortae plures per partes diffunduntur et perfectiores evadunt; inprimis nervi optici, acustici et extremitates corporis inferiores resolvuntur, quamobrem surditas et coecitas succedunt. Vomitus non modo persistit, sed frequentior redditur, quotiescumque eriguntur aegroti; lingua tegmentum squalidum, nigrum recipit, anima foetet, respiratio brevis, difficilis, anxia, convulsionibus intercipientur, pulsus maxime irregularis, minimus et frequentissimus, crebris mutationibus per brevia intervalla est obnoxius. Musculi faciei, pharyngis et artuum convelluntur, quandoque tetanus vel universalis vel partialis oboritur, occiput aut frons, si natu minores sunt

infantes, insolito more prominet; tandem singultare incipiunt aegrotuli, fimbrias diducere, floccos venari, et cum stertore spiritum ducere, donec resolutis viribus vitalibus omnibus, universa paralysis animam extinguat.

§. 9.

Si discedamus a stadio prodromorum, quod magis minusve longum esse diximus, rapidum febri hydrocephalicae decursum adscribere debemus: intra paucos enim dies vel ad mortem, aut vitam judicatur. Mors saepe stadio secundo (inflammatorio seu exsudativo) supervenit, at nunquam fere potest arceri, si stadium tertium subiit; antecedere solent morti symptomata supra (§. 8.) descripta; crisis, si qua accedit, quod rariissimum est, per auctam urinae secretionem contingere solet, cui deinde cutis transpiratio redintegrata faecesque alvinae liquidiores, non foetidae aut invito aegroto secedentes, adjiciuntur. Si perfecta fuerit crisis, febris et reliqua inflammationis symptomata prompte mitescunt, mens recuperatur, et excepta majori minorive debilitate, valetudinis instauratae species apparent. Fieri etiam potest, ut, prohibita morte, per lysin morbus solvatur; raro autem his in exemplis perfecta revertitur sanitas; ut plurimum hydrops cerebri chronicus oritur, quocum stupi-

ditas, fatigatas, coecitas, partium singularum paralysis aliaque vitia conjunguntur. Patefacto cranio hominum, febri hydrocephalica extinctorum, varia nobis offeruntur, processui morbo praegresso respondentia: non modo vasa cerebri inflammata sanguineque oppleta, sed substantia ejus liquidior, pultacea appetet; nonnullae partes, v. c. corpora striata, interdum ita diffluxerunt, ut vix internoscantur; in ventriculis ingens seri exsudati moles reperitur, etiamsi aegroti paulo post exordia stadii secundi obierint; neque desunt exempla, in quibus aliquid sanguinis extravasati, aut lymphae plasticae simul invenitur.

§. 10.

Quum secundum hujus morbi stadium, ut antea dixi, inflammatorio cerebri statu nitatur, dirimere oportet, num febris hydrocephalica et vera encephalitis eundem sistant morbum, nec ne. Reputatis utriusque morbi symptomatibus, causis, exitu aliisque momentis peculiaribus, differentiam essentialiem intercedere, facile mihi persuadeo. Encephalitis genuina vel prodromis caret, vel brevissimos habet, non stadium illud prodromorum certum, quo febris hydrocephalica ex more insignitur; minime autem dubito, encephalitidem in febrem hydrocephalicam posse abire, si adest dispositio; hac enim ratione expli-

canda censeo illa exempla, quibus noster morbus subito, sine ulla prodromis irruit. Encephalitis unicuique supervenit aetati, febris hydrocephalica tantum infantili atque puerili; experientia enim teste pueri raro post annum vitae sextum, rarissime post octavum corripiuntur. Febris hydrocephalica dispositionem quandam requirere videtur, quam sub aetiologya accuratius describam; hac deficiente, causae occasionales quaecunque encephalitidem, nunquam febrem hydrocephalicam gignunt; vigente autem illa dispositione, ipsa encephalitis, fortuito exorta, in morbum nostrum abire potest. Encephalitis analogia illa mirifica cum morbo verminoso destituitur, qua febris hydrocephalica, in primis stadium prodromorum ejus, insignitur. Volumen capitis aductum, sive cranii suturae et fonticuli pateant, sive concreverint, in mera encephalitide nunquam animadvertisit. Denique encephalitis unumquemque inflammationis exitum sortiri potest: degenerationem cerebri, ossificationem ejus vasorum, suppurationem, exsudationem etc.; febris hydrocephalica, nisi stadii inflammatorii eruptio prohibetur, unum semper et eundem sortitur exitum: nempe exsudationem. Haec ipsa vero exsudatio, quae encephalitidem excipit, aliquid differentiae offert, quippe quae tantum ei supervenit stadio, quo inflammationis vigor

sese jam remisit et relaxatio quaedam, seu asthenia indirecta, praesertim vasorum, successit; in febre autem hydrocephalica exsudatio non sola inflammationis est sequela, sed ejus coeffectus, siquidem cerebrum infantum, ante inflammationis acmen mortuorum, permultum aquae exsudatae jam continet, quod Henke aliquie observarunt; proinde hanc inflammationem, quae nostro morbo propria est, commodissime *exsudativam* nominari posse, existimo.

§. 11.

Neque dubitandum est, stadium secundum febris hydrocephalicae, sive inflammatorium, cum typho quandam alere similitudinem et cum eo posse confundi, in primis si stadium prodromorum a medico observatum non est. In eunte autem typho ingens corporis languor, gravitas ac dedolatio artuum, sensuum habetudo animadvertuntur; aestus atque horrores diu alternant, donec aestus maximus, (calor mordax) vel remissionibus junctus, vel destitutus, aegrotum occupat. Typhus successionem quandam symptomatum exhibit, nunquam tam repentinam eorum vicissitudinem, qualis observatur in febre hydrocephalica, si stadium prodromorum in inflammatorium abit. Typho laborantium oculi plerumque sub palpebris superioribus reconduntur,

strabismo qnidem submittuntur, neutiquam vero cum rigore in eodem loco defigunt vultum; auditus ab initiis hujus morbi hebescit et procedente cursu saepissime aboletur. Lingua typho correptorum aspera, sicca, squalida, plerumque tegmine foedo, pellis adinstar, obsidetur, gingivae et dentes materie atro fusca, tenaci illiniuntur, halitus oris in stadio supremo foetidissimus, imo cadaverosus exit. Respiratio, difficilis et stertorosa, praecipue muscularis abdominalibus perficitur; alvus raro obstructa, magis liquida, foetida, nonnunquam sanguine dissoluto remixta, lotium diversissimi coloris atque indolis, saepius pallida, aut jumentosa, quoad quantitatem normalis, imo ineunte typho haud raro uberior. Ut plurimum typhus inde a principio stipatur sudoribus, paulatim augescentibus, glutinosis, malum odorem spirantibus; variarum partium, in primis narium, haemorrhagiis asthenicis, nec non miliaribus rubris vel albis, imo petechiis. Febre hydrocephalica detenti, etiamsi deliriis agitantur, tranquillos sese gerunt, typhosi autem, quotiescunque copia datur, e lectulo prosiliunt, furentesque omnia prosternunt, aut vim sibi inferunt. Nullum in typho exsudationis vestigium appetet, quod criterium singulare est febris hydrocephalicae, simulac stadium inflammatorium irruptit. Praetermittendum denique non est, in typho

summam symptomatum controversiam existere; etenim dum lingua rubet atque aret, nullam conqueruntur sitim, dum febris vehemens urget, urina pallida, aquosa secedit, cutis sudores edit etc.

§. 12.

Ubi de helminthiasis et febris hydrocephalicae similitudine agitur, praesertim hujus stadium prodromorum respici oportet, vigente enim inflammationis stadio, diagnosin haud difficilem esse, judico. Quod experientia docet, pleraque symptomatum, inter prodromos febris hydrocephalicae relatorum, morbo verminoso competere, scimus. Infantes enim pariter ac in stadio morbi nostri primo, morosi atque immorigeri sunt, pupillam offerunt dilatatam, palpebris dormiunt semiclausis, strident dentibus, crebro expavescunt, ventrem habent inflatum, tensum atque durum, urinam mittunt albam, lacteam, quae signum characteristicum febris hydrocephalicae imminentis sistere dicitur; oritur quoque strabismus aliaque symptomata ambigua. Quodsi autem helminthiasin, per se spectatam, cum febris hydrocephalicae prodromis comparamus, signa quedam diagnostica posse indagari, nullus dubito. Morbus enim verminosus plures habet comites, ad febrem hydrocephalicam simplicem non pertinentes, sed per complicationem interdum acce-

dentes. Huc prae ceteris referri meretur status pituitosus, qui nutritionem atque reproductionem labefactat acidaque primarum viarum efficit, quibus sit, ut crebra pyrosi laborent infantes omnianque absorbentia, ut terrena, farinacea et cretacea, appetant. Nares intense pruriunt, cephalalgia premens et continua deficit, perinde ac sensibilitas oculorum aucta et photophobia; pulsus magis mollis et inanis, quam spasticus, aut duriusculus est. Plurimum vero ponderis tribuendum est symptomatum periodismo; etenim helminthiasi laborantes non semper iisdem premutur calamitatibus, quandoque longa animadvertisuntur intervalla, quibus integra valetudine gaudent infantes; in stadio prodromorum febris hydrocephalicae continuo urgent symptomata supra enarrata, donec irruat stadium alterum gravesque vicissitudines inferat. Febris, si ad statum verminosum accedit, nunquam non a stadio morbi nostri secundo facile distinguitur; typus ejus non est continens, sed remittens, imo perfectae fere intermissiones quandoque observantur; status pituitosi symptomata etiamnum praevalent; vomituritio et vomitus erecto capite haud nascuntur; ingens propensio ad soporem abest; febris verminosae symptomata per longum saepe tempus nullam subeunt mutationem, vel per intervalla mitescunt et recrudescunt.

§. 13.

His expositis, non alienum fore puto, si analogiam illam inter helminthiasin et febrem hydrocephalicam accuratius dilucidare ejusque fontem reserare adgrediar, ut relatio, quam uterque morbus alere videtur, ab ea consideretur parte, quam vero maxime consentaneam judico. Ignoscant autem lectores benevoli velim, quod, proprias secutus rationes, haud raro a viorum praestantissimorum opinionibus et experientia disenserim. Persuasum scilicet habeo, symptomata helminthiasis similia, quae in stadio prodromorum febris hydrocephalicae occurunt, non ab hoc morbo, sed a verminoso pendere. Res ergo simplissime explicatur: magna symptomatum analogia utriusque morbi viget, quoniam uterque morbus adest! Febrem hydrocephalicam accedere posse ad statum verminosum, neminem fore arbitror, qui inficietur; difficillimum autem direm tu videtur, numne febris illa supervenire possit infantibus, vermes intestinales haud gerentibus? Vix unquam probari posse opinor, neminem corripi febri hydrocephalica, qui vermis haud laboret: at si omnia helminthiasis vestigia desint, analogiam illam symptomatum desiderari, morbumque nostrum vel inopinanter irruere, vel symptomatibus blandioribus atque brevius spatium tenentibus, nuntiari opinor. Ab altera autem parte quemque largiturum confido, complicationem febris hydrocephalicae cum helminthiasi esse creberrimam, etiamsi abstineamus a sententia eorum, qui vermes unicuique corpori humano, saltem infantili, communes esse, contendunt. Alia potius argumenta opinionis meae veritatem mihi persuadent: quum febris hydrocephalica aetatem

infantilem et puerilem tantum infestet, nonne amare quasi videtur helminthiasis consortium? nam, salva ratione, hanc aetatem multo magis quam alias vermis conflictari, assero. Porro dispositionem peculiarem requiri, supra dixi, ut febris excolatur hydrocephalica; nonne haecce dispositio, etiamsi partim in aetate, partim in singulari corporis totius, aut cerebri habitu, partim in dyscrasia quadam hereditaria cernatur, incitamento verminoso, aut statu pituitoso, qui ab helminthiasi nunquam abest, fovari et ad morbi eruptionem prona ferri potest? Fingamus autem, dyscrasiam quandam hereditariam, ut scrofulosam, rhachiticam etc. illam sistere dispositionem: quidni eadem dyscrasia statum pituitosum et helminthiasin gignere valet? Pro explorato enim habeo, infantes, tali dyscrasia laborantes, vermis intestinalibus rarissime destitui; pro explorato etiam habeo, dispositionem ad febrem hydrocephalicam maxime corporibus inesse dyscraticis, quoniam nimis teneri maleque constituti infantes utplurimum rapiuntur. Quodsi autem verum est, quod Goelis et alii affirmant, febrem hydrocephalicam saepe infantes validos beneque nutritos subigere meditari oportet, dyscrasiam scrofulosam, si fides habendi est recentiorum medicorum experientiae, in corporibus robustis atque vegetis maxima saepe incrementa capere, sed magis internis, quam externis symptomatibus sese manifestare. Quae cum ita sint, non amplius mirandum esse puto, quod febris hydrocephalica in primo praesertim stadio affectionibus verminosis sit simillima, invalescente enim morbo stadioque inflammatorio inducto, helminthiasis symptomata gravioribus calamitatibus partim depellantur, partim occultantur.

etiori. **§ 14.** *refrig. et melius in
summo anno etiam in autobiv. temp. siccis
signis.* Morbi nosologiam atque aetioliam exposi-
turus, nescio, an omnia huc pertinentia cum ante
dictis plane conciliare possim. Causas praedispo-
nentes et occasioales esse distinguendas, supra
jam innui; utrisque constituitur causa proxima,
de qua primum disseram. Quodsi nomen ido-
neum est, quod morbo imposuimus, inficias ire
non licet, indolem ejus esse inflammatoriam, siquidem
febris, exceptis intermittentibus, earumque
modificationibus, nam ne nervosas quidem omni
inflammationum criterio carere arbitror, sine in-
flammatoria affectione, vel universali vel locali,
mente concipi nequit. Omnia febris hydroce-
phalicae symptomata et exitus hoc ex fonte ap-
tissime posse derivari, persuassimum habeo;
stadium enim prodromorum non veram morbi
indolem exprimit, sed eos tantum processus nobis
ob oculos ponit, quibus corpus ad morbum ven-
turum praeparatur; atqui corporis receptivitas
atque reactio vitalis in offensas, integratatem
evertere molientes, alia atque alia esse solet,
ergo processus inflammatorius vel celerius vel tar-
dius evolvitur stadiumque prodromorum aut brevius
aut longius per tempus protrahitur. Quemad-
modum vero in aprico est, febris hydrocephalicae
causam proximam in processu inflammatorio esse
collocandam, ita vix potest negari, specifici aliquid
hiuic inflammationi subesse, quod efficit, ut magna
symptomatum parte et exitu a vulgari encephalite
differat. Nimirum primo in stadio semper
eximia sanguinis turgescencia ad caput exstat,
cujus mentionem jam feci et auctum cranii vo-
lumen, si in stadio isto animadvertisatur, ab ea

derivari. Haud dubie congestiones illae diuturniores substantiam cerebri a statu normali alienant, expandunt, emolliunt et pultaceam reddunt, ita ut non modo singularia symptomata prodromorum stadium comitentur, verum etiam inflammationis subsequentis typus atque indeles certis modificationibus submittantur. Inflammationem exsudativam vocandam judicavi, quia persuasum habeo, exsudationem non inflammationis esse sequelam, seu effectum secundarium, uti in aliis hydroperis speciebus, sed ejus coëffectum, ergo simul cum ea inire. Vulgo enim quaeque exsudatio serosa sequi solet stadium inflammationis secundum, seu relaxationis; minime in febre hydrocephalica. Aegroti interdum post duodecim aut viginti horas inde ab initio stadii inflammatorii moriuntur, ut Henke aliique observarunt, ubi inflammatio ne acmen quidem adepta, multo minus igitur exitum nacta est, at nihilominus reserato cranii cavo ingens aquae collectae moles invenitur. Fieri ergo non potuit, quin humor vel ante inflammationem, vel cum ea oriretur; ante eam colligi vix potuit, quum præsentia ejus non iis symptomatibus indicetur, quae unumquemque hydrocephalum comitantur chronicum, etiamsi aqua non in ipsis ventriculis, sed inter cerebri tunicas resideat. Hac parte igitur febris hydrocephalica non exiguum cum angina membranacea similitudinem alit, quippe quae et ipsa inter inflammations exsudativas referenda est, quum post aliquod horas ab ortu ejus non raro concrementa polyposa, laryngem et tracheam obsidentia, appareant. Non audiendi sunt, qui exsudationem fieri posse dicunt hoc tempore, quoniam catarrhale stadium, sive subinflammato-

rium semper antecedat: etenim subito saepe irruit angina membranacea, ut infantes, meridiano tempore integerrimi, vespertino jam suffocationis symptomatis periclitentur et concrementa eructent. Angina polyposa eatenus quoque cum febri hydrocephalica conspirat, quatenus eandem aetatem, nimirum infantilem atque puerilem opprimit, reliquis autem parcit. Si in causam inquirimus, quae efficiat, ut haecce inflammatio cerebri, de qua hic agitur, praeter morem cum simultanea exsudatione conjugatur, largiri quidem debemus, eam non plane indagari posse, attamen verosimilium est, hancce causam cum aetate infantili et reliquis causis disponentibus, sanguinis indolem fortasse mutantibus, intimum celebrare commercium.

§ 15.

Inter causas praedisponentes aetas infantilis eatenus pertinent, quatenus major omnium partium mollities atque teneritas majorem supponit receptivitatem et validiores incitamentorum, tali organismo illatorum, impressiones. Inprimis vero notandum est, vegetationem et reproductionem hac aetate quam maxime florere itaque humorum praeparationem esse promtissimam, vasaque ad ubiores secretiones opportunissima. Quo laetior itaque partis alicujus nutritio et evolutio, eo largior sanguinis affluxus requiritur, eo magis opplentur vasa et ad secretiones redduntur prona, quae, adjecto stimulo quodam nova (v. c. inflammatione) ita exorbitare possunt, ut resorptio non amplius iis par sit, sed humores praeter naturam alicubi accumulentur. Si medi-

tamur, infantibus praesertim cerebrum et sensuum instrumenta excoli, facile intelligimus, conditionem febri hydrocephalicae faventem iis esse propriam. Nonne igitur sententia eorum, qui febrem hydrocephalicam perinde juvenili virilique aetati ac infantili communem esse dicunt, ita restringenda videtur, ut encephalitidem genuinam quandoque adfuisse existimemus, quae in exsudationem serosam forte exierit? Momentum disponens gravissimum cerni arbitror in dyscrasia quadam, in primis scrofulosa, quae vel nativa, vel adventitia esse potest. Si dyscrasia scrofulosa a parentibus ad prolem transferri potest, vix ullam recipit dubitationem, dispositionem hereditariam ad febrem hydrocephalicam existere; quod etiam probat experientia: multarum enim familiarum proles, quanquam diligentissimo submissa regimini, sine causa manifesta in hunc morbum incidit eoque consumitur. Quantum valeat dyscrasia scrofulosa ad constituendam febris hydrocephalicae dispositionem, ex eo abunde patet, quod systematis cerebralis evolutionem praeter normam maturat, quo fit, ut infantes scrofulosi non minus ingenium praecox offerant, quam qui ad febrem hydrocephalicam opportuni sunt. Nonne frequentia febris hydrocephalicae, quae nostro observatur aevo, ab eo pendere videtur, quod morbus scrofulosus longe lateque diffusus grassatur? Hanc praedispositionem quoque stabiliri vel augeri posse intempestivis et praematuris mentis contentionibus, persuasum habeo, quum cerebrum hoc modo irritatum sanguinis impetum majorem concipiat justoque celerius evolvatur, eo magis, quod sustinendis illis incitamentis impar est. Quaecunque

alia momentis praedisponentibus interponi solet,
ad causas potius occasioales refero, quippe quae,
oblata dispositione, morbum ipsum inducunt.

§. 16.

Causarum occasionalium partim mechanicae,
partim dynamicae distinguendae sunt. Quidquid
cranium ita afficit, ut cerebrum percutiatur et
irritetur, v. c. ictus, lapsus, plaga etc. morbi
eruptionem efficit, si dispositio exstat; eo facilius
quidem et celerius, quo major haec est. Huc
etiam pertinere videntur vitia intra cranium po-
sita, ut exostoses canalium et foraminum, quae
vasis capitis pervia esse debent, tanta angustia,
ut sanguinis circuitus cohibeatur. Multo major
autem causarum dynamicarum numerus; non
solum enim refrigerium, insolatio, nutrimentorum
incitantium et calefacentium abusus, in primis
spirituosorum et aromaticorum, excitantia animi
pathemata, morbi vel adhuc vigentes, vel sup-
pressi, aut perperam curati, sed sexcenta alia
pro causis, nonnunquam incognitis, sunt habenda.
Nonnullorum prolixiorem mentionem faciam.
Vermes intestinales causam occasioalem sistere
posse, cum Hufelandio arbitror, quum abunde
cognitus sit ille consensus inter cerebrum atque
tubum intestinalem, vermesque, si satis numerosi
adsint, stimulum morbificum exserant, qui sem-
per in helminthiasi functionum cerebri et sen-
suum alienatione se manifestat. Uberrimum
fontem occasioalem haud dubie exanthematum
repercussio, aut incongrua curatio, non capitis
tantum, sed reliquarum etiam partium, suppedit-
tat, ut tineae, favi, achorum, erysipelatis faciei,

maxime scarlatinae, quae per se in hydropem acutum facillime terminatur. Hisce suppressis exanthematibus eo facilius metastasis ad cerebrum efficitur, quum dispositio ad febrem hydrocephalicam vigeat. Similis est ratio ulcerum exsiccatorum aut secretionum habitualium alias generis, premature cohibitarum: quodsi enim secretio quaedam pathologica, derivationem salutarem corpori praestans, cohibetur, humorum impetus stimulique morbifici ad eam partem convergantur necesse est, quae dispositione morbosa laborat ideoque ceteris est debilior. Non omittendus videtur emeticorum abusus, quippe quo sanguinis cursus ad superiores partes concitatur et imminentis inflammationi via munitur; recte igitur monent nonnulli, infantes ab emeticorum iterato usu, quantum fieri possit, esse abstinentes. Denique Belladonna, incautius adhibita, v. c. in tussi convulsiva, nonnullis a medicis, ut Goelis, Schaeffer et Treber, inter causas febris hydrocephalicae occasioales refertur.

§. 17.

Reputatis omnibus, quae de symptomatologia et nosologia febris hydrocephalicae tradita sunt, facile metiri licebit prognosin, quippe quam nunquam non pessimam augurandam esse, pro explorato habeo. Sane enim exempla, quibus excultus iste morbus sanatus est, rarissima, multaque earum ambigua sunt, quoniam diagnosis non ab omni parte fuit dilucidata. Sententiae meae praestantissimi subscribunt medici, v. c. Ludwig, qui ne unum quidem medicum interposita fide affirmare posse dicit, se aegrotum,

morbo nostro detentum, in valetudinem integerimam restituisse. Schaeffer etiam et alii, qui multos hoc morbo laborantes in curam suscepunt, nullum eorum in columem se servasse profitentur, si febris hydrocephalicae symptomata essent exulta. Quid multa! vix alias exstat morbus, qui certius nobis persuadeat, quanta artis nostrae quibusdam in casibus sit vanitas. Ne tamen omnem restituendae salutis spem abjiciamus, non ignorare oportet, stadia febris hydrocephalicae multum influere in prognosis rationem. Quodsi enim stadium primum tempestive cognoscitur, interdum remediis infra subjiciendis contingit, ut inflammationis introitus arceatur; largendum vero est, in his ipsis casibus saepe efficacissima medicamina effectu salutari et prophylactico destitui. Coepit inflammatione, ergo etiam exsudatione, infaustissimum apparet augurium, quia morbus simul cum effectu junctus accessit et coerceri nequit, nisi humoris exsudati resorptio efficiatur, quod difficillimum. Cum evidentia mors praesagienda est, si morbus tertium subiit stadium (paralyticum), etenim vitae pabulum adeo est exhaustum, ut nemo amplius ei suppetias ferre queat. Aegrotorum aetas, constitutio corporis et causae morbi remotae aliquantum quidem praesagium temperant, sed multo minus, quam symptomatum major minorve atrocity.

§ 18.

Medelam febris hydrocephalicae ad singula ejus stadia esse conformandum, nemo non videt; ita vero haec peragenda sunt, ut dispiciantur

causae occasioales, quibus depulsis, utpluriuum quidem morbis non tollitur, attamen vis infringitur atque pabulum, quo nutritur, ex parte ei subducitur. Proinde singularem attentiores causae mechanicae et dynamicae, singularem exanthemata repercussa, profluvia suppressa, vermes, refrigerium etc. expostulant. His provisis, derivatio potissimum a capite ad ventrem est insti-tuenda, quoniam turgescentia humorum ad cere-brum huic stadio est communis, quamobrem turgescentiae stadium nonnullis (Goelis) vocatur. Patet igitur, laxantia esse indicata, quorum principem locum haud dubie tenet calomelas, quippe quod non modo tubum intestinalem ad majorem compellit actionem itaque revulsionem sistit a partibus superioribus, sed etiam naturam sanguinis phlogisticam infringit vasaque lymphatica vi specifica ita incitat, ut augeatur resorptio. Dosis calomelanos et longior breviorve ejus usus non ab aetate, sed a peculiari corporis constitutione et tubi intestinalis incitabilitate pendent. Continuandus videtur calomelanos usus, donec vel excrementa mucoso viridiuscula quater aut sexies per diem, sed sine diarrhoea, secedant, aut ingentes ventris dolores orientur, quos infantuli aut verbis, aut clamoribus, aut gestibus indicant. Quodsi effectus desideriis bene re-spondent, non opus est aliis purgantibus, sin pertinax alvi obstructio urget, Jalappa admisceri potest calomelani, nimirum tosta, suadente Goelisio, ne vomitus et colicae affectiones nascantur. Omittenda non sunt remedia externa, ut hiru-dines capiti applicandae, quarum numerus ex infantum aetate metiendus est; pediluvia, rube-facientia et vesicantia, inunctiones tartari stibiati

et unguenti hydrargyri cinerei, clysmata etc. Fomenta capitis frigida, si symptomata jam manifestiora prodeunt, haud aspernanda, sin minus, ad stadium alterum releganda sunt. Stadii secundi curatio magis gradu, quam indole a medela stadii primi differt: praeprimis intensiora antiphlogistica in usum vocentur, quum diminuta inflammatione restringatur exsudatio, quod juxta causalitatis legem concludendum est; praeterea id dispiciatur, ut humores jam collecti resorbtioni submittantur. Proinde statim hirundines ad regionem temporalem, vel pone aures collocentur, imo, si puer est natu major, et robustus et succipiens, vena brachii aut pedis incidatur. Internus calomelanos usus continuetur, ita quidem, ut doses vel maiores imperentur, vel brevioribus vicibus repetantur; nonnulli recentiorum, ut Henke, doses largiores, rarius iteratas praeponendas censem minoribus et frequentioribus, quia promptior obtineatur effectus. Diaphoretica et diuretica huic stadio maxime esse consentanea, nemo dubitat, dummodo non irritent sanguinisque circuitum nimis accelerent. Plurimum laudis medici tribuunt digitali purpureae, quae cum calomelane ita conjungenda est, ut singulis hujus dosibus circiter octava aut sexta grani pars digitali purpur. adjiciatur; neque effectu carere videntur inunctiones unguenti digitalis purpureae et hydrargyri cinerei circa occiput, aut utrumque colli latus. Quo magis autem inflammationis symptomata urgent, eo major fomentorum capitis frigidorum e glacie, aqua glaciali, nivibus etc. usus est atque necessitas, quippe quibus nil est praestantius et plus levaminis infert aegrotis. Lubentissime

eorum opinioni adstipulor, qui glaciem, aut aquam vesicis bubulis includi capitulo imponi jubent; partim enim humor per reliquum corpus defluere nequit, partim vicissitudine crebriori opus non est, quum vesicae diutius contineant frigus, quam linteae et panniculi. Imminentibus jamjam torporis et paralyseos antesignanis, praeter excitantia nervina, superfusiones frigidae, nec non irritantia externa fortiora in usum sunt vocanda. Quaecunque in stadio morbi novissimo adhibentur, vel nihil plane prosunt, vel palliativum auxilium nonnunquam offerunt, sic ut aegrotorum vita aliquanto longius protrahatur, etenim de restituenda salute vix quisquam meditabitur. Remedia igitur interna et externa, quae nervina et irritantia esse oportet, eapropter magis adhibentur, ut medicus sibi satisfaciat, quam fugientem animam corpori immorari jubeat.

I N D E X

AUCTORUM PRAESTANTISSIMORUM,
QUORUM SCRIPTIS MULTA ME DEBERE
CONFITEOR.

Ludwig, Dissert. de hydrope cerebri puerorum.
Lips. 1774.

Conradi, in Hufelands Journ. Bd. VII. St. 2.
pag. 1 — 17.

Girtanner, Abhandl. über die Krankheiten der
Kinder. Berl. 1794.

Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Bd. III. pag.
49 sqq.

Rosen v. Rosenstein, Anweisung zur Kenntniss
u. Cur d. Kinderkrankheiten; a. d. Schwed.
übers. Göttingen 1786. pag. 512 sqq.

Henke, die Kinderkrankheiten. Frankfurt 1809.

Goelis, pract. Abhandl. üb. d. vorzügl. Krankheiten
d. kindl. Alters. Wien 1815. Bd. I.

Loebenstein Loebel, Erkenntnis u. Heil. d. Ge-
hirnentz. d. innern Wasserkopf etc. Lpz. 1815.


Formey, von der Wassersucht der Gehirnhöhlen.
Berl. 1810.


Schmalz, Tab. der Diagnostik.


Sprengel, Handb. d. Pathol. Wien 1811. §. 579.


J. et C. Wenzel, Bemerkungen über die Hirn-
wassersucht. Tübing. 1806.

Haase, Erkenntniss und Cur d. chron. Krank-
heiten. Bd. III. §. 412 sqq.









dervari. Haud dubie congestiones illae diuturniores substantiam cerebri a statu normali alienant, expandunt, emolliunt et pultaceam reddunt, ita ut non modo singularia symptomata prodromorum stadium comitentur, verum etiam inflammationis subsequentis typus atque indoles certis modificationibus submittantur. Inflammationem exsudativam vocandam judicavi, quia persuasum habeo, exsudationem non inflammationis esse sequelam, seu effectum secundarium, uti in aliis hydropis speciebus, sed ejus coëffectum, ergo simul cum ea inire. Vulgo enim quaeque exsudatio serosa sequi solet stadium inflammationis secundum, seu relaxationis; minime in febre hydrocephalica. Aegroti interdum post duodecim aut viginti horas inde ab initio stadii inflammatorii moriuntur, ut Henke aliquique observarunt, ubi inflammatione acmen quidem adepta, multo minus igitur exitum nacta est, at nihilominus reserato crani cavo ingens aquae collectae moles invenitur. Fieri ergo non potuit, quin humor vel ante inflammationem, vel cum ea oriretur; ante eam colligi vix potuit, quum praesentia ejus non iis symptomatibus indicetur, quae unumquemque hydrocephalum comitantur chronicum, etiamsi aqua non in ipsis ventriculis, sed inter cerebri tunicas resideat. Hac parte igitur febris hydrocephalica non exiguum cum angina membranacea similitudinem alit, quippe quae et ipsa inter inflammations exsudativas referenda est, quum post aliquod horas ab ortu ejus non raro concrementa polyposa, laryngem et tracheam obsidentia, apparent. Non audiendi sunt, qui exsudationem fieri posse dicunt hoc tempore, quoniam catarrhale stadium, sive subinflammato-

